





585
44
3
D. O. M. A. 1611 5
DISPUTATIO JURIDICA

DE
RECONVENTIO-
NIBUS.

Quam
JUSSU SCITUq; AMPLISSIMI
Ordinis Jctorum in Electorali Acade-
mia VVittebergensi

SUB PRÆSIDIO

VVOLFGANGI HIRSCH-
BACHII U. J. D. ET CODICIS
Professoris ordinarij.

Pro gradu Doctoratus in utroq; Jure conse-
quendo propugnandam suscipiet

PAULUS NICOLAI
DRESDENSIS.

In Auditorio majori, horis matutinis & pomeridianis
ad 15. Novembris.

Anno M. DC. XI.

VVITTEBERGAE
TYPIS JOHANNIS GORMANNI.

D. O. M. A.
D. O. M. A.

RECONVENTIO
NIBUS.

ORDINIS
S. AUGUSTINI
S. AUGUSTINI
S. AUGUSTINI
S. AUGUSTINI

V. O. L. G. A. R. G. I. H. I. R. S. C. H.
B. A. C. H. I. U. D. E. T. C. O. D. I. C. I. S.
P. R. O. C. E. D. U. R. I. S.

IN
S. AUGUSTINI

P. A. U. L. U. S. N. I. C. O. L. A. I.
D. R. E. S. D. N. I. S.

IN
S. AUGUSTINI

V. I. T. T. I. B. E. R. G. A. R.
T. Y. S. I. O. H. A. N. N. I. S. C. O. R. M. A. N. N. I.

IN
S. AUGUSTINI



Positio I.

NON sine gravissima ratione re-
scriptum est ab Imp: Arcadio &
Honorio; Idcirco judiciorum vigo-
rem, jurisq; publici tutelam, in me-
dio constitutam, ne quisquam sibi
ipsi permittere valeat ultionem. Cur enim, in-
quit Ictus Julianus, ad arma & rixam pro-
cedere patiatur Pretor, quos potest jurisdictio-
ne sua componere? quam sententiam non modò
Celsus probat, sed etiam ij omnes, qui salutem
Reip. supremam legem esse, compertum habent.

II.

Hinc jure Civili ad legitimam persecutio-
nem ejus, quod nobis debetur, non tantum pro-
dit & sunt actiones seu conventiones, sed & re-
conventiones, quarum materia, licet judicio
Saliceti & Mariani Socini difficilis, intricata
& subtilis; attamen communi omnium con-
sensu, & ipsa experientia teste, in usu forensi
summa cum utilitate conjuncta est, de qua præ-
stat silere, quam pauca dicendo promere.

A 2

Est q

III.

Est q̄ reconvenire, impugnare jus actoris per contrariam petitionem rei conventi reconvenientis, ut sonant verba Joan: Petri Molignati, qua Cujacio anticategoria seu mutua actio vel accusatio dicitur, & definitur à Giseberto, rei conventi adversus actorem durante conventionis iudicio vicissim sub eodem iudice instituta actio.

IV.

Sed ambigi solet, à quo jure introducta sit reconventio? Nos eam jure naturali suffuldam, & à jure gentium introductam, instar aliarum actionum à jure Civili approbatam cum Corasio, Oldendorpio, Heigio, Zasio, Mynsingero, Vultrejo staturimus, licet alij dissentiant.

V.

Quocirca cum compensando nihil persequamur, nihilq̄ nobis dari petamus, sed cōtra actoris petitionem nos defendamus, Compensationem reconventionis speciem esse, negatum imus, eamq̄ potius speciebus solutionum annumeramus, qua in parte nobis etiam Constitutio Electoralis suffragatur.

6. Quem-

VI.

Quemadmodum igitur reconventionis nomina: ita quoque ipsa reconventio utroque Jure tam Civili, quam Canonico recepta: Unde est tit. 4. lib. 2. Decretalium, ubi prolixissime hanc materiam enucleant Canonistae, cum quibus ordinatio Camera Imperialis coincidit p. 3. tit. 30. Et passim, quanquam de jure Saxonico diversum videatur statutum, cujus virtute, ut cum Colero loquamur, Reus actorem reconvenire non potest, nisi prius actio contra ipsum instituta, ad finem perducta Et per sententiam determinata fuerit: Quo ipso tamen Melchior Klingius, Gisebertus Et alij, non reconventionem ipsam, sed ejus duntaxat prosecutionem prohibitam esse, sibi persuasum habent per regulam Juris Saxonici: Wo der Man recht fordert / da mus er wider rechts pflegen.

VII.

Et si verò non tantum in Gallia, Et vicina inferiori Lusatia, qua Et ipsa jure Saxonia utitur, non admittantur reconventiones, nisi cum illa usque adeo actoris conventioni insunt, ut divelli ab illa aut separari non possint, quo in casu et-

A 3

jam

jam ordinationes judiciorum provincialium,
reconventionem indulgent, planè tamen con-
trarium dispositum est Nov. Const. 7. p. 1. nempe
ut eatenus in his provincijs non admitteretur
reconventio, quatenus prima actionis causa ab
altera, ob quam reus actorem reconvenire cu-
pit, dependet. Quod si verò actio, quam reus vi-
cissim adversus actorem intendit, non connexa
cum eà, qua experitur actor, tum uterq; audi-
tur, nec altera causa alterã remoratur, quam
in dijudicatione istius puncti observandam E-
lector Augustus pia memoria mandavit, ut
Kollerus & Zangerus testantur.

II X.

Sicut ergo actor in causa conventionis tene-
tur cavere de expensis in casum succumbentia:
ita eandem cautionem, reus effectus actor in
causa reconventionis prestare necessum habet:
ut rectè sentit Iohan. Bernh. Muscatellus, &
statutum disponens de actione seu conventionem
intelligendum est quoq; de reconventionem, et-
iam si frustra Panor: dissentiat.

IX.

Quam-

Quamvis non desunt, qui compensationem
quoque in foro Saxonico locum habere negant, illo-
rum tamen opinio auctoritate Juris destitui-
tur, & Electorali constitutione, quam ceu sa-
crum oraculum sequimur, disertè rejicitur,
quemadmodum nec illud admittimus, quod
Accursius existimat, tum demum reconven-
tione utendum esse, quando locus non est com-
pensationi. In libero quippe Rei conventi
arbitrio est positum, utrum compensare velit,
aut petere.

X.

Cæterum si legis prohibitio impediatur com-
pensationem, veluti cum debitum est illiqui-
dum, vel quantitatis ad speciem vel speciei ad
speciem desideratur Compensatio, necessario
ad reconventionem erit confugiendum, quia al-
liud pro alio invito creditori solvi nequit.

XI.

Reconventionem cum vulgo facit dupli-
cem Joan: Emericus à Rosbach, propriam &
impropriam Propria ipsi dicitur, quando ita
in initio instituta est reconventio, ut pari passu
cum

cum conventione procedat. Improperia, quae si-
multaneo processu cum conventione non ambu-
lat, neque eadem sententia finire potest, verum
si rem exactius ponderare velimus, tot fere re-
conventionis species, quot sunt actionum gene-
ra deprehendemus. Unde nec aliam reconven-
tionem compensationis, nec aliam reconventi-
onis in specie sic dicta concedimus.

XII.

Quia verò reconventio nihil aliud est, quàm
mutua & in contrarium instituta actio, conse-
quens esse, ait Mindanus, eos tantum reconve-
nire posse, qui lege, natura vel canone agere non
prohibentur; Unde banniti & excommunicati
etsi conveniri possunt, attamen quoniam actio-
nes ipsis non competunt, nec reconventionem
movere poterunt. Idcirco haec tenenda est re-
gula: Quod omnes, qui non coguntur in aliquo
loco in viti iudicium pati, si illi ultrò ibi agant,
teneantur vicissim reo, coram eodem iudice,
nulla obstante fori praescriptione, respondere.

XIII.

Unde manifestum evadit, falsam esse sen-
tentiam

tentiam Accursij, qui statuit actorem non solum reo convento, sed & quibusvis alijs propter intentatam tertio alicui actionem cogi respondere, ut rectè scriptum reliquit idem Mandanus.

XIV.

Et hæc usq; adeò vera putamus, ut, licet principes Imperij, alioquin privilegiatam habeant instantiam, vormöge der Außträge! si tamen ipsi coram iudice inferiori alium conveniant, nulla privilegij habita ratione, coram eodem iudice reconveniri possint, ut rectè statuit Schvvaneman, Gisebertus, & recentiores omnes.

XV.

Quod tamen non obtinet, si is, qui imperio mediatè subjectus est, illustri persona dolosè dånü inferat eo animo, ut si ab eà cõveniretur coram suo iudice, possit eandem vicissim hujus jurisdictioni per reconventionem subicere. Ad eundem modum, si reus, immediatè Imperio subjectum, coram suo iudice velit reconvenire, de ijs causis, quarum cognitio vel solius Impe-

B

rato-

ratoris vel Camera Imperialis est, nulla esset reconventio.

XVI.

E regione, si mediatè Imperio subjecti, immediatè Imperio addictos in jus vocent, coram iudicibus ordinationis, vel in Camera Imperiali, quin ibidem rectè reconveniri possint, nulla dubitatio est, unus tamen excipitur casus, quando principes conveniuntur coram novem suis consiliarijs, tum enim reconventioni locus relictus est nullus.

XVII.

De statibus Imperij, iudicio invicem contendentibus, quid habendum, an & hoc casu valebit reconventio? Omnino sive actor à Caesarea Majestate commissarium impetret, sive vigore ordinationis p. 2. tit. 4. §. 3. um dritter, ex tribus principibus ab Electore, aliove Imperij Principe, reo nominatis actor eligat unum, quamvis hic dissentire videatur Sichardus.

XIIX.

Quid si clericus conveniat laicum, an coram eodem iudice reconveniri possit, questio est

est quovis Africani responso intricatior? ad cu-
jus decisionem nonnulli adulescentes Pontificij,
novam Papæ decisionē exoptant, quam nos nul-
lo modo expectabimus, sed dubitationem omnē
Delphico gladio juris civilis, canonici, & Divi-
ni jam tum amputatam esse, asseveramus, ita,
ut affirmantium opinionem, non tamen sine ex-
ceptione, propugnare non dubitemus.

XIX.

Hoc quoque non rarò disceptatur, An Civis
vel alij plebeij coram Rectore Academiae con-
tra studiosos agentes, coram eodem Rectore
à studiosis, vel hi agentes coram Magistratu
oppidano, ab illis coram eodem possint recon-
veniri? Utrobique affirmantium placet opinio,
licet hic non pauci nodum in scirpo querant.

XX.

Reconventio tam coram ordinario, quam
delegato, velut Speculator loquitur, apud quē-
libet judicem intentari & peragi potest, coram
quo fit conventio, modò eundem judicē non de-
dignetur qualitas causæ, sed ejus respectu sit ju-
dex competens, licet non sit competens respectu
personæ agentis.

B 2

Hinc

XXI.

Hinc à Socino & Speculatore traditur axioma perpetuò notandum, quod ita se habet: *Judex, qui non potest per modum simplicis conventionis de causa cognoscere, nec per modum reconventionis de eà cognoscet, ne quidem incidenter, aliter atq; opinatur Accursius.*

XXII.

Coram iudice ordinario, cujus jurisdictio communi litigantium consensu est prorogata, vel coram iudice delegato, qui utriusq; litigantis suffragio est impetratus, quaritur an teneat reconventio? quod contra Bartholum, cum Socino & Zasio volumus, & idem statuimus de iudicibus particularibus seu specialibus ad certum causarum vel personarum genus deputatis, sub hac tamen conditione, si ipsius causa, per reconventionem mota, cognitio ipsos non fugiat.

XXIII.

Vnde facile datur intelligere, coram paribus Curia vel domino feudi in causis feudali-
bus reconventionem rectè moveri, sed an extra
causas

causas feudales coram ijs reconventio possit institui, summoperè controversum est? quod, et si non pauci affirmant, à nobis tamen negantium opinio semper hactenus publicè privatimq; defensa est, à quâ, cur discedamus, etiamnum sufficientem rationem invenire non possumus, præsertim cum gravissimis Camera Imperialis præjudicijs suffulta sit, teste Mynsing. & Gaylio.

XXIV.

Illud quoq; quaesitum esse, inquit Marc. Anton. Blanc. Menoch. & Mindanus, an coram arbitris compromissarijs admittatur reconventio? Negativa opinio communi interpretum calculo recepta, & in puncto Juris vera est, qua tamen fallit in arbitris Juris, quia hi cum à lege, statuto, vel consuetudine jurisdictionem nacti sint, de reconventionem cognoscere non prohibentur. XXV.

An verò coram Judice appellationis locus sit reconventioni, quaestio est miris distinctionum Mæandris involuta? Nos scapham scapham, & ligonem ligonem dicemus, & sine omnibus anfractibus negativam opinionem, qua plerisq; placet, defendemus. 26. Re-

XXVI.

Reconventio militat non tantum in causis civilibus, sed etiam criminalibus, licet ejus prosecutio & cognitio tantisper differatur, donec conventionalis accusatio per sententiam fuerit definita, quanquam interpretes & hic conglomerent tot distinctionum myriades, ut in Minois Labyrinthum incidisse videantur.

XXVII.

Predicta tamen ita sunt intelligenda, 1. modo reus vicissim obijciat crimen per modum accusationis non exceptionis, 2. siue nomen accusati sit receptum inter reos, siue non, 3. siue utraq; causa sit criminalis, siue altera civilis, altera criminalis, 4. modo reus non statim accusationem reconventionalem velit perorare, sufficit enim reo saltem deferre accusatorem suum, deposito, pendente etiamnum prima accusatione, libello reconventionali, quia hac libelli acusatorij ex parte rei depositio est reconventio, cujus solum cognitio differtur, donec conventionalis accusatio sit expedita.

XXVIII.

Non

Non tantum in imploratione officij Judicis,
sed etiam in causis summarijs & præjudiciali-
bus locum sibi vendicat reconventio, dummo-
do judex cause præjudicialis cognitionem habe-
at: sed num etiam in causis fractæ pacis publica?
Propter autoritatem Camera Imperialis, quæ
summa est, hic poteramus subsistere instar Ve-
terum quorundam Jurisconsultorum, sed videbimus,
quid nova Giseberti valeat opinio.

XXIX.

Observandum est in causa possessionis & pro-
prietatis instar conventionis & reconventio-
nem valere non de iisdem, sed diversis rebus,
quoties alteruter litigantium non est usus in-
terdicto recuperandæ possessionis seu spoliij, tunc
enim non admittitur prius reconventio, quam
si præcesserit restitutio: Sin autem uterq; quere-
lam de spolio proponat, statim admittitur reco-
ventio, quæ tamen in causis executivis cessat se-
cundum spec. Bald. Maran. Gravet. & De-
cian.

XXX.

Formam reconventionis dicunt eam, ut du-
rante eodẽ judicio non tantum ante, sed etiam
post

post litis contestationem, usq; ad conclusionem
causae proponatur, id quod rectè censet Specula-
tor, licet aliud sit visum Felino, & reliquis ple-
visq;

XXXI.

Tunc autem causa conventionis & recon-
ventionis, siue ante siue post litem contestatam
instituta sit, uno eodemq; processu vel instantiâ
tractanda, & unâ sententia definienda est: si
fuerit actionum cognatarum siue conexarum,
si verò disparatae fuerint actiones, arbitrio judi-
cis relinquitur, an simultaneo processu velit vel
possit eas unâ sententia determinare, nisi obstat
legis prohibitio.

XXXIII.

Reus autem reconvenire volens, cautionem
judicio sisti, exigat ab actore, quam si prestare
recuset, denegat ei audientiam. Judex etiam in
propria causa, aut ad satisfactionem compellat,
ut monet Speculator, Mindanus, Tomingius,
& Modest. Pistoris. quod tantopere proce-
dit, ut actor reconventus, si de jure suo cede-
re & litem deserere velit, invito reo, & re non
amplius

*amplius integra, iudicium reconventionis mi-
nimè evitet, secundum Cynum & Maran-
tam.*

XXXIII.

*Unde quemadmodum auctori integrum est,
plures actiones in libello conventionali simul
proponere, ita reo etiam idem non est denegand-
um, cum utrobique eadem sit ratio, teste Pa-
nor. & Socino. Et rescriptum ab Imperatore
vel Pontifice impetratum cum clausula: Re-
mota appellatione, extenditur etiam ad re-
conventionem, ut deciditur in cap. 2. Ext. de
mutuis petit.*

XXXIV.

*Atque ex his liquescit, quis sit effectus recon-
ventionis precipuus, quod nempe actor recon-
ventus, ut supra quoque monitum, coram alie-
no iudice, non obstante ulla persona vel privile-
gij exceptione, litigare cogatur, unde Legati,
et si tempore legationis jus revocandi domum
habeant, si tamen ipsi actionem instituunt, ne-
cessum habent reconventi coram eodem iudice
respondere.*

C

respondere.

respondere. Sic ex diverso reus, quantum vis
velit pendente lite conventionis actorem ad a-
liud tribunal pertrahere, attamen nihil agit,
sed vel mox apud actoris iudicem, reconventi-
onem suam proponere, vel litis sibi illata termi-
num, quod sit executione sententiae, expectare
cogitur, nisi reus iudicem suspectum habeat,
quia tum probatis suspicionis causis, licet ei a-
lium postulare iudicem, coram quo & conven-
tio & reconventio agitetur.

XXXV.

Finis reconventionis consistit in equita-
te naturali. Nam ut Paulus § Ctus, quem
Imp: Gordianus virum prudentissimum ap-
pellat, inquit, iniquum est, non esse mihi cum
illo actionem, si nolit, illi verò si velit, mecum
esse. Quae ratio gravis & magna dicitur à
Cujacio meritò, quia edictum, quod quisq;
juris in alium statuit, ut ipse eo jure utatur,
propter equitatem summam sine cujusquam
debet usurpari indignatione justa, & quid a-
liud ageret Praetor, quàm ut controversias
dirimat,

*dirimat, aut diremtas ratas habeat, quam ad
rem propter incertum litis eventum recon-
ventio viam sternit, unde finiendarum litium
causa, nec reconventionis reconventio
est permessa.*

Soli DEO Gloria.



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011




SB

VD17

Retrokonv,







B.I.G.

Farbkarte #13

A. 1611 5
 URIDICA
 ENTIO.
 S.
 AMPLISSIMI
 lectorali Acade-
 bergensi
 SIDIO
 GI HIRSCH-
 ET CODICIS
 rdinarij.
 n utroq; Jure conse-
 lam suscipiet
 ICOLAI
 NSIS.
 utinis & pomeridianis
 mbris.
 C. XI.
 RGAE
 GORMANNI.

4/5

